
ACTA

Capitulorum

Provincialis

ab anno 1596

usq. ad 1665





D - 32 - 97 .


58 - 

Indice de las Actas de los Capítulos Pro-
vinciales de este libro.

- 1596 Valencia sub R. Hieron. B. de Lanusa n. 1.
 1600 Casaxag. sub R. Hieronimo Xaviere, n. 2
 1601 Baxinona sub R. Bernardo Sarría -- n. 3
 1606 Valencia sub R. Simone Baura -- n. 4
 1608 Baxinona, electo el Sr. Fr. Pedro Abaga n. 5
 1609 Valencia sub R. Nephale Rifer -- n. 6
 1613 Casaxagusto sub R. Hieron. Bat. Lanusa n. 7
 1617 Baxinona sub R. Joanne al Valle n. 8
 * 1621 Valencia sub R. Narciso Rivey -- n. 10 -
 1625 Casaxagusto sub R. Hieronimo Mes. n. 11
 1629 Baxinona sub R. Pedro Pedro ? n. 12
 ordinationes del Rmo Nicolai Rodulfo. n. 13
 1631 Valencia sub R. Joanne nur -- n. 14.
 1636 Casaxagusto sub R. Ludovico Maria de Milla n. 15.
 ordinationes del Sr. Juan de la Cruz n. 16.
 1641 Actas de las p. y q. de Rmo Hieronimo
 al P. Sr. Hieronimo Sarría prelat
 guerras de Catalunya
 1644 2 de Abril se celebró aquí Cap. Provin.
 para elegir Superior y Elector no se hizo
 con Actas, y así no seellan.
 1645 Valencia sub R. Henrique Rogea -- n. 17
 ordinationes del Rmo Juco -- -- n. 18
 1649 Casaxagusto sub R. Juan Crespi de Vallcausa n. 19
 1653 Baxinona sub R. Stefano de Villapanto n. 20
 1657 Valencia sub R. Pedro Mat. Cerdá -- -- n. 21.
 1661 Casaxagusto sub R. Mauricio Lerana. n. 22 -
 ordinationes del Rmo Maximis. y -- n. 23
 * ordinationes del Rmo Hieronimo Sarría y Juan de la Cruz n. 24
 despues de las actas del 67. n. 9

2665. Barinono sub Q. S. Joan.
ne Thoma de Pocabati.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



HAEC SVNT ACTA

CAPITVLI PROVINCIALIS

CÆSARAVGVSTÆ CELEBRATI

Die 22. Aprilis, Anni 1600.

SVB REVERENDO ADMODVM

*P. F. Hieronymo Xauierre Sacra Theologia profes-
sore Vicario Generali, ac Prouinciali electo*

Prouincia Aragoniæ Ordinis

Predicatorum.

Diffiniētibz admodum Reuerendis Patribz Fra-

tre Ioanne Loazes Magistro, & Rectore Orio-

læ, Fratze Antonio Font Magistro, Fratze

Ioanne Michaele a Losilla Magistro,

Fratze Simone Bauça Magistro,

& Priore maioricarum.



CÆSARAVGVSTÆ

Apud Angelum Tauanum, M. D. C.

1807

THE UNIVERSITY OF

OXFORD

PRINTED BY

CLAYTON & BOWEN

15, N. B. STREET, LONDON, E.C. 4



F. HIERONYMVS

XAVIERRE SACRÆ THEO-
LOGIÆ PROFESSOR, AC PRO-
uinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum humi-
lis Vicarius Generalis, & Prior Prouincialis
electus omnibus eiusdem suæ Prouin-
ciæ Patribus & fratribus salutem,
& in regulari obseruantia
profectum.



ARVM vere ptodest (patres aman-
tissimi) preciosa vestis, quamuis vn-
diq. præcincta colluceat auro, tota
præfulgidis & coruscantibus micare
videatur margaritis, & resplendeat
vniouibus: si tamen armario tineis
corrodenda, vel muribus recõdatur
deuastãda. Quod si corpori ornando coaptetur, suoq;
fine nullatenus frustretur, quis pulchritudinem reci-
procam, quã venusto corpori tribuit, ab eoq. mutuo
recipit, non amet, miretur, obstupescat? Non aliter
certe parum proderit tot pulcherrimas cõdere leges,
tot tantaq; venusta, utilissi maq. proponere decreta,
tot renouare antiquatas constitutiones, ex quibus ve-
stis perfecta, talatis, polimata, quæ operiat multitudi-

A. 2. num.

nem peccatorum, quæ animæ decorem venustiore,
pulchrioremq. reddat, conflatur, si illa omnia sepul-
chro duplici obliuionis & negligentia recondantur,
relaxenturq. deuastanda. Quod si illis lubens animus
induatur, & tanquam torques aurea varijs margari-
tis, preciosisq. lapillis consita collo nostro corrup-
puntur, sintq. & moueantur, & recordationem ante
oculos, luceantq. tanquam adamantes, & Saphiri in
manibus nostris, quis pulchritudinem, & venustatem,
quam tribuunt & suscipiunt, poterit intueri? Perpen-
dite quæso antiquos patres Antonios, Basilios, Bene-
dictos, Brunos, Franciscos, Dominicôs, Vincentios,
Raymundos, in quibus regularum omnium, institu-
tionumq. obseruantiam viguisse profiteamur. Qui
splendores, quibus totum illuminarunt orbem, quæ
victoriæ, quas totius orbis de inimicis humani gene-
ris gratulabûdo reportarunt cõsensu, quæ exempla tã
præclara, quibus totum orbem incenderunt, a quibus
& regularis obseruãtia pulchritudinẽ emendicabit, &
qui tãtis tãq. sanctissimis monasticis statutis sunt cõ-
decorati. Accipite igitur patres amantissimi hæc no-
ua, seu verius vetustissima statuta, & vestræ mētis mo-
nimenta, eisq. tanquam sancti electi, & dilecti Dei
induimini, quibus non nudi, sed vestiti, tanquam nup-
tiali veste in die nuptiarum agni reperiamini. Atten-
dite ad petram firmam solidamq. nostrum refugiũ
Parentem nostrum sanctissimum Dominicum, vn-
de excisi estis. Mementote præpositorum vestrorum,
qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuen-
tes exitum conuersationis, imitamini, fidem, spẽ, cha-
ritatem, religionis zelam. Ad vos autem Pastores, &
magistri conuerto sermonem. Videte vocationem
ve

vestram, perpendite altiosum statum quem in Ecclesia Dei fortiti estis, considerate non in proprium commodum, & torpens otium religionem nostram vos ad tantum gradum sustulisse. Quos tanquam speculos ceteri intuentur, & tanquam veros duces, fortesque antesignanos, sequantur, ament, imitentur. Vobis timete, si qui tanquam fulera, & pedamenta novarum vitium constituti estis, in terram inclinemini, humique iaccatis: Et quos velut fortissimos Atlantes, qui humeris vestris, viribus vestris, virtutibus vestris, tenera pectora, trementia corda minorum, animosque labentes erigatis, sustentetis, & fulciatis, constituit sancta religio: hos potius labefactantes parvuli experiatur. Curate igitur omnes, dilectissimi Patres, ut tam in verbo, quam opere & exemplo, vos vera, candida, & refulgentia specula, in quibus vera istae leges, & sancta statuta coruscent, exhibeatis, pascite gregem vobis commissum, curate ne per abrupta vitiorum gradiatur, pacem sequimini cum sanctitate, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum, in perpetuum regnaturus. Valete in Domino, & illum pro me orate. Caesaraugustae 3. Calend. Maij. 1600.





Denunciations.



- 1** **D**ENUNCIAMVS omnibus nostræ Prouinciæ patribus Reuerendū admodum Patrem Fratrem Hieronymum Xauierre magistrum huius Conuentus Cæsaravgustani Priorē, summo fere omnium consensu fuisse in Priorem Prouincialem huius Prouinciæ nostræ Aragoniæ electus.
- 2** Item denunciamus in Capitulo Generali proxime celebrato Valentiz die 2. Iunij. 1596. editam fuisse ordinationem tenoris sequentis. Ordinamus Apostolica auctoritate, neminem in posterum in quavis electione canonica vocem, tam actiuam quam passiuam habiturum, qui duodecimum annum a professione non compleuerit: In prouincijs autem Indiarum octauum ad minus. Quam quidem ordinationem, vt per literas Reuerendissimi Patris nostri Generalis, datas Matriti, die 16. Iulij. 1598. accepimus, cōfirmavit & roborauit Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa Octauus. Ideoq. omnibus vobis illam intimamus, & præcipimus, vt in omni electione canonica obseruetur.
- 3** Item denunciamus Reuerendum admodum P. Fratrem Hieronymum Baptistam de la Nuza Prouincialem præteritum huius nostræ Prouinciæ habuisse auctoritatem a Reuerendissimo Patre nostro Generali, vt per eius litteras patentes nobis constat, ad assignandos nouitios cuiuscun-

cunque Conuentus ad alios Conuentus minores, vt pro illis profiterentur, essentq. eorum filij, & hoc absque consensu, & voluntate alicuius Conuentus, sed pro sua libera voluntate & autoritate. Atque ita declaramus omnes nouitios a prædicto admodum R. P. Prouinciali præterito ad alios Conuentus designatos, emisisse vel emissuros esse professionem pro illis Conuentibus, ad quos per dictum Patrem designati sunt, esseq. illorum filios, & nulatenus Conuentuum, in quibus habitum susceperunt.

- 4 Item denunciamus Reuerendum admodum P. Fratrem Hieronymum Baptista de la Nuza Prouincialem præteritum computum dedisse nobis de omnibus ab eo tam receptis quam expensis toto Prouincialatus tempore, nobisq. satisfactum fuisse.
-

Confirmaciones.

1 **I**N primis confirmamus ordinationem illam sæpe numero factam, ne Supprieores durent, nisi per biennium a die institutionis eorum. Quod si hoc biennium duobus mensibus ante defectionem Prioris, vel pendente electione compleri contigerit, tunc declaramus eorum durationem prolongari quoadusque Prior electus confirmatus & præsens in domo extiterit.

2 Item confirmamus illam sæpe factam, ne aliquis actus Supprior, vel Præses electioni possit eligi in Priorem ipsius domus: quod si secus factum fuerit totum sit irritum & inane.

3 Item illam, qua sub formali præcepto mandatur, vt in ciuitatibus & oppidis, in quibus Conuentus, aut domos habemus, nullus possit pernoctare extra Conuentum, nec in suburbanis sine speciali licentia Prælati.

Item illa, qua præcipitur sub formali præcepto, ne quis libros, vestes, pecunias, aut alia bona, quæcunq. extra ordinis

8

Acta Capituli Prouincialis

dinis obedientiam habeat sine expressa licentia admodum R. P. Prouincialis, eaq. executioni non mandetur, nisi consensu Prioris. Qui secus fecerint bonis illis priuētur, & conuentui suo originali applicentur.

4

Item illam, qua sacristis & fratribus elemosynam petentibus sub pœna proprietatis vitio debita præcipitur, ne aliquid expendant sine licentia Prioris, aut principalis Præsidentis in eius absentia, etiam prætextu ornandi Ecclesiam vel imagines, aut aliquod huiusmodi.

5

Item illam, qua sub formali præcepto iubetur omnibus patribus Prioribus, seu principalibus conuentuum Præsidentibus, vt quotiescunq. in aliquo Conuentu aliquē fratrem mori contigerit, Prælati illius Conuentus infra spatium sex dierum teneatur ad Priores omnium Conuentuum illius nationis scribere, vt de morte fratris certiores eos faciat, & Prior principalis illius nationis sub eodē præcepto infra idem spatium teneatur ad Priores principalium Conuentuum aliorum nationum scribere, qui sub eodem præcepto, & infra idem tempus tenebuntur ad omnes conuentus suæ nationis respectiue scribere, & de morte fratris defuncti certiores facere. Vt autem melius pietas in defunctos exerceatur sub eodem præcepto mandamus omnibus Supprioribus, & Vicarijs domorum, vt in aptata tabula papyrea in sacristia ante oculos celebrare volentium affixa infra idem tempus a notitia defuncti fratris, nomen & cognomen, & locum mortis fratris ascribant.

6

Item illam, qua sæpe statutum est, ne quis cellam alterius ingrediatur aliquo illorum intus existente sub pœna grauioris culpæ per mensem. Si quis autem post pulsationem silentij id attentare præsumpserit, in pœnam grauioris culpæ irremissibiliter incidisse declaramus per quatuor menses pro prima vice. Quod si secundo in eodem crimine deprehensus fuerit, carceri per vnum annum mancipetur. Quod si tertio, processus in eum fulminetur, grauisimeq. in ipsum animaduertatur. Conscientiamq. A. R. P. Prouincialis & Priorum in hoc grauiter oneramus. Cella Regentis

tis dumtaxat excepta, idq. extra silentij tempus.

8 Item illam qua præcipitur in virtute Spiritus sancti & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto, vt nullus fratrum recipiat missas celebrandas sine expressa licentia sui prælati: nec eas procuret, neque sibi, neque alteri, neq. domui vel conuentui, nisi illi in quo viuit, sine expressa licentia R. adm. P. Prouincialis vel Prioris.

9 Item confirmamus id quod sæpe statutum est, ne procuratores conuentuum durent plusquam per biennium; nisi forte reeligantur a Capitulo sui conuentus.

10 Item confirmamus illam qua ordinatum est, vt omnes nostræ Prouinciæ Prælati curent ea, quæ ad Dei nostri cultum præsertim in sanctissimo missæ sacrificio spectant, quantum possunt pro dignitate tractari: Ideoq; eis in meritum sanctæ obedientiæ iniungimus, vt ita provideant circa corporalia, mappas, purificatoria, calices, & sacra indumenta, quod omnia sint munda, & recte, quantum fieri poterit composita & coaptata, orantes R. P. nostrum Prouincialem, vt in visitationibus de his omnibus inquirat, & proprijs oculis omnia lustret, seueriq; puniat prælatos in re tanti momenti deficientes. Quo autem omnes uniformes simus in sacra missæ cæremonijs statuimus quod iam sæpe statutum est, vt frequenter curent prælati cuiusque conuentus missas, quas siccas dicunt, omnibus sacerdotibus præsentibus dici, ad quas qui venire noluerint grauitè puniantur.

11 Item illam, quod fratres non egrediantur ad Ecclesiã ad colloquendum cum mulieribus nisi expresse licentia obtenta a Prælato pro qualibet vice: In qua concedenda difficilimi se præbeant Prælati. Nec se locent in angulis, siue in alijs minus patentibus locis, sed in loco publico se constituent. Si autem sacrista vel quispiam alius fratrem aliquem ad id in Ecclesiam vocauerit sine expressa licentia prius obtenta a Prælato, poenæ grauis culpæ sine remissione subiaceat.

12 Item illam, qua sæpe statutum est, vt fratribus layeis

B

pecu

peculiaris designetur magister, qui eos doceat discrete, & pure confiteri, confessiones eorum audiat in fidei doctrina, signanterq; in sanctissimi Rosarij mytteris instituat, & religiose viuere eos hortetur: cuius intererit eos ad capitulum non raro vocare, vt hæc præstare possit. Similiterq; magistri nouitiorum curent fratres iuuenes eadem hæc docere, & specialiter eos ad sanctissimi Rosarij deuotionem inclinare.

13 Item confirmamus illam, vt ea quæ circa rasuram in nostris constitutionibus statuta sunt obseruentur: Ideoq; Prælati inungimus vt fratres clericos, qui latrorem, quã illis liceat, comam nutriunt, aut capillos quasi uncris parat, seuere puniant, & fratres similiter laycos, qui non tendentur ad eum modum, quem constitutio nostra præterbit.

14 Item illam, qua iubetur sub pœna absolutionis ab officio omnibus Prioribus aut Præsidentibus conuentuum, vt horæ Canonice statuta tēporibus a constitutione persoluantur: Ad quas omnes conueniant maxime ad completorium, & ad Saluæ, præcipue layci. Quod si quicquid deesse contigerit, & pœnitentiam agere neglexerit, graui culpæ irremissibiliter subiacebit. Vt autem nullus debito suo desit in hac parte, alter superiorum in choro semper assilat; admonentes R. P. Prouincialem, & eius conscientiam onerantes, vt hanc nostram ordinationem inuiolabiliter obseruari faciat: Similiterq; vt fratres orationem humiliter, & deuote post matutinum, nonam & completorium habeant in choro iuxta ea, quæ in multis Capitulis Generalibus & Prouincialibus sunt ordinata: ad quam omnes conuenire debeant etiam fratres layci.

15 Item confirmamus illam, quod in uisitationibus teneantur Priores rationem reddere R. P. Prouinciali de bonis fratrum defunctorum, vt sciant quid de bonis illis factum sit, & an sit cuiq; parti satisfactum.

16 Item illam qua præcipitur conuentuum præsentibus, vt constitutionem nostram de perpetuo & continuo silentio inuiolabiliter obseruari faciant, præcipue in diebus commu-

communione solemniter iudicatum, & in die obitus alicuius fratris; ad idq; statuatur zelatorem pecuniarum, cuius erit campanam quotidie in silentij signum pulsare post prandium & post Completorium.

17 Item illam, ut in domibus in quibus ad minus non sunt viginti quinque fratres, qui possint viuere secundum rigorem regulare in nostris constitutionibus statutum, non possint nouitij educari: statuentes tot nouitij in minoribus Conuentibus recepti ad maiores secundum quod patri nostro Provinciali videbitur expedire transmittatur, ubi pro Conuentibus pro quibus sunt filij professionem emittant.

18 Item illam, qua praecipitur omnibus Conuentuum Praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ut diligentiam adhibeant circa nouitiorum & iuuenum educationem, ita ut nulla ratione per domum discurtant, nec e domo egrediantur, nisi pro euidenti necessitate, iuuenibus autem per Conuentum discurrentibus poenas Praelati imponat graues.

19 Item illam, quod nullus frater promoueat ad ordines absq; licentia R. P. Provincialis in scriptis obrenta, neq; promoucantur ad subdiaconatus ordinem ante tres annos a professione, nec ad sacerdotium ante quinq. annos ab eadem idq; fiat praemisso patrum consilio, in quo approbati sint a maiori parte in eodem existentium, facta prius a magistro nouitiorum relatione de moribus & vita, sicut & ab examinatis de scientia & aetate, seruatis omnibus quae in actis Capitulorum generalium statuta sunt.

20 Item illam, ne fratres aliqua ratione ex pecunijs quocunq; modo adquisitis, aut habitis, census annuos emant, nisi nomine Conuentus cuius sunt filij, nec tam habitos possidere possint, sed omnes huiusmodi census Conuentus originalibus suis applicentur, sicut de facto modo applicamus: census autem huiusmodi, qui nomine Conuentus ementur ab aliquo, vere ad conuentum pertineant, & inter censualia Conuentus scribantur, & redditus illorum a Procuratore Conuentus recuperentur, ex quibus poterunt Priores aliquam partem, si illis placuerit pro necess-

fratribus dare illi fratri, qui pecunias erogauit ad tales cen-
sus emendos.

21 Item confirmamus illam, vt licentiæ & facultates a R. P. nostro Generali concessæ aliquibus fratribus sub titulo & occasione, vt parentibus, aut cõsanguineis, pauperibus subuenire possint, omni cum veneratione acceptentur.

Volumus, tamen vt pecuniæ & bona, quæ harum facultatum prætextu religiosus adquisit, illi Priori tribuatur, qui facilius poterit ea tradere illius religiosi parentibus, aut cõsanguineis, Cui Priori, in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ præcipimus, vt realiter ea tradat eisdem; qui etiam sit paratus reddere rationem R. P. Prouinciali de omnibus his in visitatione aut extra,

22 Item illam, qua præcipitur omnibus Conuentuû Præsidentibus sub pœna absolutionis ab officio, ne facile facultatem tribuant, etiam de consilio patrum fratribus, vagandi extra Conuentum, vel eundi ad alios Conuentus, seu oppida etiam prætextu alicuius necessitatis, nisi vera sit & vrgentissima, cum constet huiusmodi discursus magna parere incommoda, & scandala generare. Reuerendi autem P. Prouinciali conscientiam oneramus, vt id ita seruari curet.

23 Item confirmamus illam, qua præcipitur omnibus Cõuentuum Præsidentibus, grauiusq. eorum conscientiam oneramus, vt valde difficiles se præbeant in licentijs e domo egrediendi concedendis, præsertim iunioribus a actu vero studentibus & iuuenibus nulla ratione concedantur. Eisdem autem patribus Præsidentibus præcipimus sub pœna absolutionis ab officio, vt sociu nominent pro quolibet vice, quibus licentiam egrediendi concedent. Iuvenes etiam nulla ratione possint adire Conuentus Monialium cuiuscunq. ordinis, nec illas alloqui etiã si aliquando contigerit cum alijs patribus illuc adire. Quod si contrafecerint irremissibiliter pœnæ grauis culpæ subiaceant.

24 Item illam, vt in Conuentibus, vbi non sunt lectiones Theologicæ, aut artium, estque conueniens fratrum numerus,

metus, habeatur lectio de casibus conscientiarum, cui intererunt omnes fratres non graduati.

25 Item illam, ut quando fratres recedunt ab aliquo Conuentu assignati in alium, teneantur, quærere a principali Præsidenti Conuentus subscriptionem in assignatione factam de die, qua præsentata fuerit talis assignatio: & qui absque tali subscriptione incesserint tanquam fugitatiui reputentur, & puniantur a Conuentuum præsidentibus. Idemq. censemus de his qui ultra dies in assignationibus deputatos immorati fuerint. Eandem subscriptionem teneantur requirere, & deferre, qui prætextu licentiarum conuentus suos egrediuntur sub eisdem pœnis.

26 Item illam, quod non legatur cursus artium in aliquo Conuentu, qui non habeat ad minus sex fratres, qui illum possint audire: similiterq. de Theologia respectiue statuimus. Lectores vero examinentur ab statutis examinadoribus, quibus R. P. Prouincialis alios addet prout viderit expedire: statuentes id, quod sæpe in capitulis generalibus statutum est, ne quis instituat magister studentium, qui iam ad minus non legerit integrum cursum artium.

27. Item illam, ut patres Priores, aut Procuratores in scio, aut inconsulto Conuentu, non possint annuos redditus, vel censualia emere ex pecunia Conuentus: similiterq. in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto mandamus, ne quando talia censualia redimuntur possint prælati, aut Conuentus pecunias quocunq. prætextu cõsumere, sed eas intactas in deposito Conuentus seruent, quoad usque iterum ad emendum censuales redditus contrahantur.

Ordinationes.

Quoniam ijs, quæ ad diuinum cultum pertinent primo elaborandum, summap. diligentia inuigilandum est, statuimus & ordinamus, ut omnes Prouinciæ nostræ Prælati curent

curent, vt ea summa vigilantia pietate, & deuotione tractentur, maxime quod in *Antiphona* *Sancæ Regina*, verba illa dulcedine plena, *O dulcis Maria*, deuote a fratribus quotidie cantentur, & nullatenus organa pulsentur.

2 Item ordinamus, omnibusq. prouinciæ nostræ concionatoribus præcipimus, vt in omnibus concionibus ea pietate & deuotione qua par est, & ad quam facer ordo noster tenetur, ad deuotionem beatissimæ virginis & Rosarij eius populum excitent, & beneficia ab ipsa beatissima Virgine collata omnibus fidelibus ipsi sanctissimo Rosario affectis recolant, miraculaq. explicent in memoriam reuocantes hoc beneficiû singulare nos a beatissima Virgine accepisse, vt huius sanctissimi Rosarij ipsi maxime accepti, ministri ac præcones essemus.

3 Item ordinamus quod bona defunctorum fratrum in tres diuidantur partes, & tertia in missis pro defuncti anima expendatur.

4 Item ordinamus, quod nulla paternitate donetur præter magistros & Priores quatuor præcipuorum Conuentuum *Barcinonæ*, scilicet, *Cæsaraugustæ*, *Valentiæ*, & *Sancti Dominici Maioricarum*.

5 Item ordinamus, diutiusque inhibemus, ne Prior & Supprior simul absint tempore *Quadragesimæ*, etiam prætextu concionandi.

6 Item ordinamus, grauissimeq. Prioribus iniungimus, conscientias eorum aggrauantes, vt maxima cum vigilantia studio attendant, iubeantq. lectoribus, vt horis statutis, videlicet post Primam & Vesperas suas lectiones prælegant, nec tempora mutant, nec desint lectionibus & conferentijs. Item quod lector artium non possit tempore *Quadragesimæ* concionari: & quod ambo Theologiæ Lectores eodem tempore concionibus non vacent, sed saltem semper vnus domi prælecturus remaneat.

7 Item ordinamus, quod nullatenus lectiones vllæ intermittantur a festo sanctæ *Crutis*, vsq. ad festum sanctæ *Mariæ Magdalensæ*: & quod saltem bis in mense conclusiones
defen-

defendantur: conscientiam R. A. P. Provincialis in diem Christi onerantes, ut si quos viderit in hoc defecisse, negligentemq. fuisse talibus priuet lectionibus. Abstineant autē lectores a nimia prolixitate, quæstiones inutiles & oblongas euitent, multa q. doceant qua poterunt breuitate.

8 Item ordinamus, & omnibus patribus Prioribus, Conuentuumq. præfidentibus districte iniungimus, ut qua poterunt breuitate faciant memoralia, quæ vocantur inuentaria tam in deposito de omnibus scripturis, tum annuorū reddituum, quæ censualia vocantur, tum aliorum privilegiorum: & similiter in qualibet officina Conuentus. Ad quæ inuentaria constituatur liber in deposito, in quo primo ponatur inuentarium privilegiorum, & aliarum scripturarum pertinentium ad fundationem & statū ponatur: secundo ponatur inuentarium scripturarum censualiū perpetuorum & in postea scripturarum censualium temporalium per ordinem mensium cum aliquo signo, tam in inuentario, quam in ipsa scriptura, ut possint facile reperiri. Et in alia parte ponatur inuentarium omnium scripturarum pertinentiam ad possessiones & radices, quæ bona immobilia vocantur: ibidemq. ponatur inuentarium scripturarum pertinentiam ad annuos redditus frumenti, vini, & olei. In alio autem libro ponantur sigillatim inuentaria omnium bonorum, quæ reperiuntur in qualibet officina Conuentus, in quibus quæcunque bona quæ de nouo ponuntur in qualibet officina addantur in inuentario illius officinæ: maxime autem in inuentario sacristiæ ponantur omnia localia, & quæ afferuntur vulgo vocata præsentallas: quæ teneantur sacristiæ quantocius acceperint præsentare P. Priori, seu Principali præfidenti Conuentus, ut ponantur in inuentario. Ex quibus inuentarijs dentur transumptus cuilibet officiali talis officinæ subscriptus a P. Priore, seu principali præfidente, depositarijs Conuentus, & officiali officinæ.

9 Item ordinamus, & præcipimus omnibus eisdem, ut eurent summa diligentia, ut in omnibus emphyteusis, quæ
vulgo,

vulgo, censos perpetuos, vocantur, domini vtilis recognoscant dominium directum, quod vulgo dicitur, antipocaro, capbreuar. Ad quod constituatur liber in dedosito, vt per ordinem mensium ponantur huiusmodi census & antipocare. Quæ omnia sint perfecta & consummata ante primam visitationem, in qua reddant rationem R. A. P. Prouinciali de his omnibus.

10 Item ordinamus, quod in inuentario scripturarum ponatur substantia actus, & Calendariū, & nomen Notarij.

11 Item ordinamus, quod patres Priores, seu Conuentuum Præsidentes teneantur singulis anni exigere rationem ab omnibus procuratoribus, tam secularibus, quam fratribus Conuentuum de omnibus ab eis in illo anno receptis & expensis, & fiant annotationes, quæ vocantur encantes de los rocegos.

12 Item ordinando interdiciamus omnes Priores, aliosque fratres, ne in aliquibus locis, seu Ecclesijs Santissimi Rosarij confratrias erigant absque peculiari licentia R. A. P. nostri Prouincialis.

13 Item ordinamus quod quando fratres ad insulas, vel ab insulis transfretant, nisi re vera aliquid nauili saluant, non teneantur conuentus a quibus migrant, aliquid persoluere.

14 Item ordinamus quod quæuis pecunia, quæ expendi debeat, prius in comuni deposito recipiatur.

15 Item ordinamus quod fratres, qui curiones vel Rectores in aliquibus Ecclesijs existunt, singulis annis suis Prioribus rationem reddant omnium acceptorum & expensorum.

16 Item ad magna euitanda incommoda ordinamus quod vno quoque anno tertia pars vestium singulis fratribus tribuatur, vno anno cappa, alio anno tunica magna & scapulate, alio cætera interna indumentum, ita quod in tribus annis detur cuilibet fratris totum indumentum. Et ita quando assignabuntur nulla eis debebuntur vestimenta.

17 Item ordinamus & in virtute Spiritu Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto præcipimus omnibus fratribus, ne ad comedias prospiciendas accedant.

Commissionses.

1. **C**ommittimus R. P. nuestro Prouinciali, ne litteras patentis concedat alicui ad confessiones audiendas, aut verbum Dei prædicandum, aut ad legendum, nisi prius illi constiterit quæ nam fuerit examinatorum censura de examinato, quam statim post examen examinatores remittant ad P. N. Prouinciale litteris clausis & obsignatis.
2. **C**ommittimus eidem R. P. nostro Prouinciali, ne facile assignationes concedat, præfertim iuuuenibus & fratribus laycis, sed tantum cum conuentuum necessitas id exigerit tuncque ita prouideat, vt si opus fuerit etiam si quidam ægre ferant eos mittat, & assignet, signanter prædicatores generales, qui pro talibus conuentibus fuerint instituti: nec discipulos & scandalosos vnquam, aut grauibus penitentibus obnoxios, nisi ad conuentus maiores remittat, in quibus coerceri possit eorum audacia. Reuetendi autem Patres Priores non se difficiles exhibeant in eorum receptione, quorum curam eis committimus tanquam redditur rationem in diem Christi.
3. **C**ommittimus A. R. P. Prouinciali, & eius conscientiam coneramus, vt Priores, aut præsidentes conuentuum, quos inuenerint facile absque vlla causa a suis conuentibus sepe exire, & itinera voluntaria accipere, in pœnam a suis officijs absoluant: expensæ autem quas in huiusmodi itineribus fecerint, nulla ratione adscribantur conuentibus, nisi certissime constet in commodum, & vtilitatem conuentuum cedere, declarantes, & statuentes non licere Prioribus vltra dietam conficere iter absque licentia R. P. Prouincialis prius obtenta, nisi tale sit negotium, quod dilationem non patiatur: tuncque etiam tenebuntur Priores statim R. P. Prouinciale certiorè facere de itinere, quod fuerint aggressi: exponentes causam illius, & si secus fecerint expensæ omnes nõ adscribantur conuentibus, etiã si pro negotijs conuentuum iter sit confectum, & alijs etiam pœnis puniantur.

C

Item

- 4 Item committimus eidem P. nostro Prouinciali, vt in visitatione Prouinciæ diligenter consideret statum in temporalibus & spiritualibus minorum Conuentuum: & quomodo res se habent, & postea in qualibet natione cum cõsilio patrum in eadem natione prouideat illis, & videat si oportet illos omnino deserere.

Institutiones.

- 1 Instituiimus in Suppriorum Conuentus Perpiniani fratrem Petrum Francés, Conuentus Vicensis fratrem Honorium Bollo, Conuentus Podiceritani F. Michaelém Pont, Conuentus Castilionis de la Plana F. Petrum Vera, Conuentus S. Iacobi de Pallas, F. Iacobum Sayols, Conuentus S. Annæ de Albayda, F. Christophorum Sanchez, Conuentus de la Olleria, F. Iacobum de Albaro, Conuentus Ebusitani, F. Martinum Ferrer, Conuentus Ceruariæ F. Ioannem Tripols, Conuentus S. Vincetij de Manacor F. Thomam Moragues, Conuentus Quoquiliberi F. Iacobum Baptistam Muñoz absoluentes prius eum a Supprioratu Perpiniani.
- 2 Damus in Vicarium domui nostræ S. Mariæ de Horto fratrem Ioannem Rius, ipsumq. a Conuentu Balagarij remocamus, & dictæ domui assignamus. In alijs autem Conuentibus prouidebit R. Adm. P. Prouincialis, prout viderit expedire.

Prouisiones studiorum.

- 1 In Conuentu Barchinonensi damus in Regentem R. P. F. Antonium Staper Magistrum, in lectorem primarium Theologiæ F. Thomam Roca Præsentatum, in lectorem secundum ex commissione R. P. nostri Generalis Fratrem Franciscum Diago Præsentatum.

- 2 In Conuentu Cæsariugustanæ damus in Regentē R. A. P. F. Io: Michaelē a Lofilla Magist. in lectorem Theologiæ primarium F. Ludovicum Aliaga Præsentatum in lectorem secundum F. Dominicum Xauierre Præsentatum in Magistrum studentium F. Garciam de Aldouera in lectorem artium F. Thomam Venasque.
- 3 In Conuentu S. Dominici Maioricarum damus in Regentem & lectorem sacre scripturæ R. A. P. F. Simonem Bauça Magistrum, & huius Capituli diffinitorem, in lectorem primarium Theologiæ F. Reginaldum Oliuor, in lectorem secundum F. Michaelē Nadal, in lectorem artium F. Bartholomæum Piza pro isto anno 1600.
- 4 In Conuentu Valentino damus in Regentem R. A. P. F. Hieronymum Baptista de la Noza Magistrum.
- 5 In Conuentu S. Petri martyris Calatayubij damus in lectorem cursus futuri F. Reginaldum Amiguët.
- 6 In Conuentu de Iuça damus in lectorem artium Fratrem Petrum Vela: in reliquis autē Conuentibus prouidēbit R. A. P. noster Vicarius Generalis & Prior Prouincia lis electus, prout viderit expedire.

Acceptaciones.

- 1 Acceptamus magisteria Reuerendorum patrum F. Michaelis Ilot, F. Bernardi Sarría, F. Ioannis Perez Valentini, F. Raphaelis Castello, F. Didaci Mas, F. Ioannis Michaelis a Lofilla, F. Ioannis Vincentij Catalan, F. Simonis Bauça.
- 2 Item acceptamus Præsentatas patrum F. Petri de la Vega, Fratris Iacobi Prastana, F. Petri Deça, F. Francisci Diago, F. Nicolai Crespo, F. Gasparis Valles, F. Ludouici Aliaga, F. Dominici Xauierre, F. Hieronymi Cenedo, F. Andreæ Gual, F. Benedicte Torrente.
- 3 Item acceptamus præsentatas gales, F. Petri Martyris

Balaguer, pro Conuentu Perpiniensi. F. Francisci Font, pro Conuentu Barchinonensi: E. Ignacij Arbues, pro Conuentu Alcañitij F. Petri Sisamon pro Conuentu Osez, F. Martini Xuarez, pro Conuentu Iuicæ.

3 Item acceptamus Conuentum S. Mariæ de Albarasin expensis Illust. & Reuer. D. Episcopi Albarasiniensis Ecclesie, ciuitatisq. de Albarasin fundatum.

4 Item acceptamus Conuentum S. Dominici de Graus, expensis Illust. & Reuer. D. Episcopi Balbastricēsis, & loci de Graus erectum.

5 Acceptamus etiam filiationes F. Bernardi Alberti a suo originali Conuentu Physiaci, ad Conuentum Castellionis Ampuriarum: F. Saluatoris Baños a Conuentu Castellionis Ampuriarum, ad Conuentum Cæsaraugustanum: F. Michaelis Perez laici a Conuentu S. Marthæi, ad Conuentum Cæsaraugustanum. F. Iosephi Aracil a Conuentu Xatua, ad Conuentum Oriolæ. F. Petri Nogueras a Conuentu S. Honofrij, ad Conuentum Calatayubij. F. Iacobi Vincentij a Conuentu S. Annæ, ad Conuentum Calatayubij. F. Iacobi Forner a Conuentu Sedis Virgelis ad Conuentum Valentia. F. Ludouici Marti a Conuentu Illerdensi, ad Conuentum S. Honofrij. F. Petri Febrer a Conuentu S. Vincentij de Manacor, ad Conuentum S. Domini Maioricarum.

Sententiæ.

1 Condemnamus F. Hier. Barbec laicū nostri Conuentus S. Honofrij propter enormē percussione cuiusdā patris antiqui factā dolose ad tritemes (quod vulgo dicitur seruir en las galeras al remo y sin sueldo) per spatium 3 annorum.

2 Condemnamus F. Damianum Serra ad penam grauioris culpæ per mensem, & quod solum loquatur cum patribus antiquioribus Conuentus, & non egrediatur domum

per

per vnum annum: quia quãsdam litteras impudentissimas ad R. A. P. nostrum Prouincialem, & Diffinitores huius Capituli miserit, in quibus indiscrete, & impudentissime postposito omni respectu de suis Prelatis oblocutus est.

Sufragia pro viujs.

- 1 Pro SS. D. D. nostro Clemente Octauo quilibet sacerdos unam missam.
- 2 Pro Catholica Maiestate Regis nostri Philippi, qui eleemosynam pro nostro Capitulo contulit, quilibet sacerdos vnã Missam.
- 3 Pro R. A. P. nostro Magistro ordinis, & socijs eius cui multũ debet hæc nostra prouincia quilibet sacerdos vnã Missam.
- 4 Pro Illust. & R. D. Archiepiscopo Cæsarangustano quilibet sacerdos vnã Missam.
- 5 Pro D. D. Duce de Feria, vxore, filijs, & familia eius quilibet sacerdos vnã missam.
- 6 Pro D. D. Prorege huius Regni, Duce de Alburquerque & D. Comite de Benaunte Prorege Valentino de ordine nostro benemerito, filijs & familijs eorum quilibet sacerdos vnã Missam.
- 7 Pro Illust. admodum D. Episcopo Albaracinenfi, Capitulo ciuitate, & communitate Albaracinenfi, quorum expensis Conuētus in dicta ciuitate extructus est, quilibet sacerdos vnã Missam.
- 8 Pro Illust. admodum D. Episcopo Balbastrenfi fundatore Conuentus oppidi de Graus, & pro dicto oppido, de Graus, quilibet sacerdos vnã Missam.
- 9 Pro Illust. Adm. D. D. Episcopis Oscensi, Tirasonensi, Canonicis, & Capitulo Beatæ Virginis del Pilar, Duce de Yxar, Comite de Guimeran, Comitissa de Fuentes, & alijs.

alijs nostri ordinis benefactoribus, qui elemosynas pro nostro Capitulo contulerunt, quilibet sacerdos vnā Missā.

10 Pro Illust. D. D. Duce de Sessa quilibet sacerdos vnā Missam.

11 Pro Illust. D. Duce de Lerma, vxore, & filijs, quilibet sacerdos vnā Missam.

Pro D. Doctore Peña Rotæ D. N. PP. Auditori qui maxime in canonizatione Sanctissimi P. nostri Raymundi elaborauit, quilibet sacerdos vnā Missam.

Suffragia pro mortuis

1 Pro anima Catholicæ Maiestatis Regis nostri Philippi, tum de omni Ecclesia, tum de nostra religione maxime benemerito, quilibet sacerdos vnā Missam.

2 Pro anima Illust. D. Cardin. Alexandrini, quondā nostri ordinis Protectore, quilibet sacerdos vnā Missam.

3 Pro anima D. D. Ferdinandi de Loazes Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiscopi Valentini, qui insignē collegiū Oriolæ nobis construxit, quilibet sacerdos vnā Missam.

4 Pro fratribus & sororibus huius nostræ Prouinciæ defunctis a præcedenti Capitulo vsq. ad præsens, quilibet sacerdos vnā Missam. Pro qualibet Missa sacerdotibus imposita dicent clerici septem Psalmos: conuersi vero dicent Rosarium integrum B. Virginis.

5 Sententijs Iudicium approbamus, & eas in subrobore permanere volumus.

6 Sequens Capitulum quod erit electionis anno 1604. assignamus in Conuentu S. Catherinæ martyris Barchinonæ: nisi aliud R. A. dm. P. Prouincialis (consulto R. P. nostro Generali iudicauerit.

7 Volumus authoritatem diffinitorum durare vsq. ad feriam secundam sequentem inclusiue, & concedimus totā nostram authoritatem R. A. P. Prouinciali obnixè eum rogantes,

Cesaraugusta celebrati Anno 1600.

23

gantes, tot ea quæ a nobis ordinata sunt, obseruari faciat :
curetq. ea, quæ religionis sunt ita promouere. vt sumptus
ac labores & cætera omnia quæ in similibus Capitulorū
celebratione interueniunt nequaquam cassa, vana, ac sine
fructu iudicentur : sicque Capitulo nostro Prouinciali ad
Dei & beatissimæ matris eius Mariæ, ac beati Patris no-
stri Dominici, omnium sanctorum, & sanctarum, ad reli-
gionisq. nostræ augmentum, finem imponimus, quibus in
nostro diffinitorio subscripsimus in Prædicatorū Cæsar-
augustano Conuentu, die 25. Aprilis. 1600.

*si filii ratione
suis opalib*

F. Iohannes Loazes primus
Diffinitor.

F. Antonius Font, secundus
Diffinitor.

F. Io. Michael a Losilla Mag.
& tertius Diffinitor.

F. Simon Bausa quartus
Diffinitor.

